A. D. 1911. Nrus VII.

CURRENDA

L. 3178.

Rekolekcye kapłańskie

odbędą się w bieżącym roku:

1. W Nowym Sączu w klasztorze OO. Jezuitów od 3. lipca (wieczorem) do 7. lipca (rano).
2. W Tarnowie w Seminaryum duchownem od 18. września (wieczorem) do 22. września (rano).

P. T. Kapłani, chcący wziąć udział w tych świętych ćwiczeniach, powinni się zgłosić pisemnie kilka dni wcześniej do Rektoratu OO. Jezuitów w Nowym Sączu, względnie do Rektoratu Seminaryum duchownego w Tarnowie.

Nrus 3179.

Ordines maiores.

Notum Vobis facimus, Fratres Venerabiles, Nos die 29. Junii a. c. SS. Apostolorum Petri et Pauli solemni in Ecclesia cathedrali 13 R. R. D. D. Diaconos et Seminarii dioecesani alumnos ad S. Presbyteratus ordinem esse promoturos. Hi autem sunt:

Brandt Antonius, n. in Schoenanger, par. Borowa.
Gawron Martinus, n. in Starawieś, par. Limanowa.
Gliński Antonius, n. in Stary Sącz.
Jaroński Ludovicus, n. in Bochnia.
Kordela Stanislaus, n. in Bobrowniki małe, par. Jurków.
Kowalczyk Ladislaus, n. in Rybień, par. Nawojowa.
Luraniec Jacobus, n. in Bierzanów (dioec. Cracov.).
Osmulski Ladislaus, n. in. Grudna dolna, par. Siedliska.
Rzepka Joannes n. in. Uście solne.
Skwirut Romanus, n. in. Czarna (par.).
Stach Petrus, n. in Ujanowice.
Stec Jacobus, n. in Tuchów.
Stosur Jacobus, n. in Świdnik, par. Tęgoborza.

Quorum nomina populo fideli post concionem die 25. Junii a c. sunt publicanda et ad sacerdotium promovendi fervidis orationibus commendandi.

COMMUNICAMUS PRO NOTITIA ET DIRECTIONE VARIAS FACULTATES, QUAS A S. SEDE APOSTOLICA OBTINUIMUS.

I.

Sub die 3. Aprilis 1911. Facultas dispensandi Parochos ab obligatione applicandi Missam pro populo in diebus festis suppressis et erogandi respectivas eleemosynas una cum eleemosyna secundae Missae in favorem Seminarii puerorum.

Beatissime Pater, Episcopus Tarnoviensis perdurantibus iisdem causis humiliter postulat prorogationem indulti sibi concessi per Rescriptum Sacrae Congr. Concilii diei 22. Junii an. 1908. circa facultatem dispensandi Parochos suae Dioecesis ab obligatione applicandi Missam pro populo in diebus festis suppressis, ad effectum erogandi respectivas eleemosynas una cum eleemosyna secundae Missae in favorem Seminarii puerorum suae Dioecesis.

Die 3. Aprilis an. 1911. S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, auctoritate SSmi Dni Nostri, attentis expositis, expetitam prorogationem in terminis et forma praecedentis Rescripti Episcopo Tarnoviensi Oratori benigne impertita est ad aliud triennium.

(*L. S.*) † C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

Udzielając do wiadomości powyższy indult, przypominamy kilkakrotne w tym względzie Nasze rozporządzenie, iż wszyscy P. T. Kapłani nasi powinni korzystać z tego przywileju. A więc wszyscy Kapłani z prawa obowiązani do aplikowania Mszy św. za parafian w święta zniesione mają przyjmować stypendya mszalne na Msze św. w te święta i w całości odsyłać je do Konsystorza naszego dla małego Seminaryum.

Tylko P. T. X.X. Proboszczowie z Tuchowa, Pleśnej i Zbylitowskiej Góry będą i nadal in festis abrogatis aplikować Msze św. za lud wierny całej Naszej Dyecezyi.

Wszelkie dyspensy kiedykolwiek udzielone uwalniające od obowiązku aplikowania Mszy św. za parafian w święta zniesione nie mają żadnego znaczenia.

II.

Sub die 29. Martii 1911. Facultates quinquennales pro foro interno iuxta sequens Rescriptum:

Tibi Dilecto in Christo Ordinario Tarnovien. infrascriptas communicamus facultates tum absolvendi a censuris, non obstante Constitutione *Apostolicae Sedis*, tum dispensandi, ad quinquennium duraturas, quibus pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra dioecesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra dioecesim fueritis, pro grege Tibi commisso, ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate Tibi delegata uti valeas; quasque intra fines dioecesis tantum canonico poenitentiario necnon vicariis foraneis, pro foro pariter conscientiae ac in

actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Tibi placuerit, aliis vero confessariis cum ad Te in casibus patricularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a Te specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio tuo statuendum, illas communicare iudicabis.

I. Absolvendi quoslibet poenitentes, exceptis haereticis publice dogmatizantibus, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, quibus obnoxii sint ob haereses tam nemine audiente quam coram aliis prolatas, ob defensionem et favorem praestitum haereticis et eo quod ipsis crediderint, ob infidelitatem et catholicae fidei abiurationem private admissas, ob sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto etiam donandi animam eique praestitam idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata, postquam tamen poenitens magistros ex professo falsae doctrinae, si quos noverit, prout de iure denunciaverit, et quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a poenitente seria promissione denuntiandi cum primum et meliori modo, quo fieri poterit et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abiuraverit et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit, tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis ad omnia comburenda seu destruenda; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit et reparandi illata scandala.

II. Absolvendi a censuris ob retentionem vel lectionem librorum quorumlibet prohibitorum contractis, iniuncta congrua poenitentia salutari, firma manente obligatione tradendi prout de iure, sive per se sive per alium, absque ulla mora, vel saltem comburendi seu destruendi, et, quatenus fieri poterit, ante absolutionem libros prohibitos, quos poenitens in sua potestate retineat.

III. Absolvendi a censuris impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes; iniunctis tamen de iure iniungendis.

IV. Absolvendi a censura simpliciter reservata eos, qui quomodocumque violentas manus, suadente diabolo, iniecerunt in clericum vel utriusque sexus monachos, etiamsi casus sit publicus, non tamen morte secuta, dummodo scandalum removeatur, ac parti laesae atque Ecclesiae, prout oportet, satisfiat, iniuncta pro gravitate criminis congrua poenitentia.

V. Absolvendi a censuris contra duellantes statutis in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis, iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

VI. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui sectae massonicae aliisque eiusdem generis nomen dederint, aut qualemcumque favorem praestiterint, etiamsi publice cognoscantur, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abiurent, denuncient personas ecclesiasticas seu religiosas, si quae forte eidem sectae sint adscriptae, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant,

in manus absolventis tradant, ad Te quamprimum caute transmittenda aut saltem, si iustae gravesquae causae id postulent, comburenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque iniunctis de iure iniungendis; nec non absolvendi eos, qui eiusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint, iniuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Tibi vel aliis, ad quos spectat, prout de iure denunciandi.

VII. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum externum deducti, cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant, iniuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

VIII. Absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis (etiam moniales per confessarios tamen pro ipsis a Te approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Absolvendi in sacramentali confessione a casu munerum acceptorum a regularibus utriusque sexus, iniuncta poenitentia salutari, et quando agatur de muneribus, quae valorem viginti scutatorum non excedant, imposita aliqua eleemosyna absolventis arbitrio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium conventus vel religionis, cui facienda esset restitutio, dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem viginti scutatorum vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, vel si statim fieri nequeat, praestita seria promissione restituendi infra terminum ab absolvente praefiniendum.

X. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si marito vel uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum incestuoso seu incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per populam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective mariti; remota occasione peccandi et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XII. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita copula provenientis, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto, et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post eiusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorato seu certiorata de

nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur; et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas; remota occasione peccandi ac iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimonnis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis tuae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri queat; remota semper occasione peccandi et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris huius nativitatem non antecedat; iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de encessaria consensus secreta renovatione, et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ud S. Sedem; iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Mens autem nostra est: 1º ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2º ut iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. XI., XII. et XIII., non sit *irritativa* sed tantum *praeceptiva;* 3º ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possis.

Datum Romae ex aedibus nostris die 29 martii 1911. O. GIORGI S. P. *Ceg.*
(L. S.) A. CAVAZZI S. P. *Subst.*

III.

PRO FORO EXTERNO.

1. *Sub die 1. Aprilis 1911. Facultates quinquennales a S. Congregatione de Sacramentis iuxta sequens Rescriptum:*

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SS. D. N. Pio PP. X. sibi tributarum, Ordinario Tarnovien. infrascriptas ad quinquennium communicat facultates, quibus uti nequeat extra fines suae dioecesis:

1º. Conferendi Ordines extra tempora et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2º. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

3º. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine

ministro, si aliter celebrari non possit, et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti. Caveat vero ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti, iuxta potestatem inferius apponendam, communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eandem communicet aut respective causas approbet.

4⁰. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

5⁰. Dispensandi super impedimentis matrimonialibus infra recensitis, in matrimoniis tam contractis quam contrahendis, dummodo tamen mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat; facta in unoquoque casu expressa mentione facultatis ab hac S. Congregatione obtentae, necnon temporis, ad quod fuerit concessa:

a) super impedimento consanguinitatis et affinitatis in tertio et quarto gradu simplici et mixto et in secundo, tertio et quarto mixtis;

b) super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus proveniente;

c) super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante;

d) super impedimento cognationis spiritualis, praterquam inter levantem et et levatum, baptizantem et baptizatum.

6⁰. Communicandi praefatas facultates, exceptis tamen iis, quae requirunt ordinem episcopalem, sacerdotibus idoneis, qui in sua dioecesi laborabunt.

7⁰. Declarandi legitimam prolem conceptam ante dispensationis concessionem, si id a contrahentibus expresse petatur, et dummodo non agatur de prole in adulterio concepta.

8⁰. Convalidandi litteras dispensationis ab Apostolica Sede expeditas super quovis canonico impedimento, quae nullae factae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium, in matrimoniis tam contrahendis quam contractis.

9⁰. Utendi facultatibus sibi tributis dispensandi super impedimentis matrimonium dirimentibus singillatim sumptis, etiam cumulative, in casibus, in quibus duo vel plura simul concurrant ex praedictis impedimentis.

D. CARD. FERRATA, *Praef.*

(L. S.) PH. GIUSTINI, *Secret.*

2. *Sub die 28. Martii 1911. Facultates triennales a S. Congregatione Consistoriali iuxta sequens Rescriptum*:

Sacra Congregatio Consistorialis vigore facultatum a SSmo D. N. Pio PP. X. sibi tributarum Ordinario Tarnovien. infrascriptas ad triennium concedit facultates:

1. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares; non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi

sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereres, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereres, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

2. Dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus, ea excepta, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

3. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, ex rationabili causa, exceptis votis castitatis et religionis.

4. Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo in Bulla — *Apostolicae Sedis moderationi* — diei 12 Octobris 1869 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi.

5. Tenendi et legendi, non tamen concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis Sacerdotibus sive laicis, quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bentham, I. A. Dulaure, *Fêtes des Courtisanes de la Grèce, Novelle di Casti,* et aliis operibus de obscoenis et contra religionem ex professo tractantibus.

6. Delegandi simplicibus sacerdotibus facultatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non interveniat sacra unctio et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

7. Conficiendi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem Coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

8. Induendi se vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa vel in eis permanere non potuerint.

9. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarum secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

10. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et quadragesimae, non tamen per generale Indultum sed in casibus particularibus.

11. Praedictas facultates communicandi Sacerdotibus idoneis, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos vel per unum ex eis, alio modo provideat.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

IV.

Sub die 28. Martii 1911. Facultas ad quinquennium delegandi Sacerdotes dioecesanos ad benedictionem sacrae supellectilis, in qua Sacra Unctio non adhibetur:

Beatissime Pater. Hodiernus Episcopus Tarnovien. ad pedes S. V. humillime provolutus implorat facultatem delegandi Sacerdotes sibi creditae Dioeceseos ad benedictionem omnium quorumcunque ad divinum cultum spectantium, in quibus Sacra Unctio non adhibetur.

Et Deus etc. Tarnovien.

Sacra Rituum Congregatio suprascripto Rmo Oratori benigne ad proximum Quinquennium facultatem concessit delegandi suum pro tempore Vicarium Generalem, Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Praepositos, Archipresbyteros, Parochos, Ecclesiarum Rectores, Vicarios Foraneos, aliosque sibi benevisos suae Dioeceseos Sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad benedictionem omnium quorumcunque ad divinum cultum spectantium, in quibus Sacra Unctio non adhibetur.

Die 28. Martii 1911.

(L. S.) † FR. SEB. CARD. MARTINELLI *Praefectus.*

† PETRUS LA FONTAINE EP. CHARYSTIEN. *Secret.*

V.

Sub die 28. Martii 1911. Facultas ad quinquennium subdelegandi Sacerdotes ad benedictionem Nolarum.

Beatissime Pater, Episcopus Tarnovien. ad pedes S. V. humillime provolutus, facultatem implorat subdelegandi Sacerdotes ad benedictionem Nolarum in usum sacrum sibi commissae Dioeceseos, sive per breviorem formam Ritualis, sive per solemnem ritum Pontificalis Romani; ipsa non excepta aquae benedictione.

Et Deus etc. Tarnovien.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. tributis, suprascripto Rmo Oratori ad proximum Quinquennium facultatem concessit subdelegandi suum pro tempore Vicarium Generalem, Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, Praepositos, Archipresbyteros, Parochos, Ecclesiarum Rectores, Vicarios Foraneos aliosque sibi acceptos suae Dioeceseos Sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad benedictionem Nolarum in usum sacrum, intra fines eiusdem Dioeceseos; dummodo ipsi adhibeant formam approbatam, quae habetur in Appendice Ritualis Romani; et quoad Nolas pro Ecclesiis consecratis, vel consecrandis, decentius servent ritum in Pontificali Romano praescriptum; ipsa non excepta aquae benedictione, si qua legitima causa id exigat. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 28. Marttii 1911.

(L. S.) † FR. SEB. CARD. MARTINELLI *Praefectus.*

† PETRUS LA FONTAINE EP. CHARYSTIEN. *Secretarius.*

BENEDICTIO NOVAE CAMPANAE,

QUAE AD USUM ECCLESIAE SIVE SACELLI INSERVIAT.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Psal. 50. Miserere mei Deus...

Psal. 53. Deus in nomine tuo...

Psal. 56. Miserere mei Deus, miserere mei...

Psal. 66. Deus misereatur nostri...
Psal. 69. Deus in adiutorium meum...
Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam...
Psal. 129. De profundis clamavi...
V. Kyrie eleison.
R. Christe eleison.
V. Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*
Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui per beatum Moysen, legiferum famulum tuum, tubas argenteas fieri praecepisti, quibus dum sacerdotes tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus mònitus ad te adorandum fieret praeparatus et ad celebrandum conveniret; praesta quaesumus: ut hoc vasculum, sanctae tuae Ecclesiae praeparatum, a Spiritu Sancto per nostrae humilitatis obsequium sancti † ficetur, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad sanctam Ecclesiam et ad praemium supernum. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, prosternat aereas potestates dextera tuae virtutis: ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant et fugiant ante sanctae crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse Dominus noster praestare dignetur, qui absorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris cum eodem Patre et Spiritu Sancto, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit; et primum aqua benedicta aspergit circumeundo campanam, choro dicente:

Asperges me Domine hyssopo et mundabor: lavabis me et super nive dealbabor.

Dein incensat circumeundo campanam, choro dicente:

Dirigatur Domine oratio mea: sicut incensum in conspectu tuo.

Officians prosequitur:

OREMUS.

Omnipotens Dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit; tu necessitatibus populi tui benignus succurre, tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Do-

mino per illud populus tuus convocatus, ac sicut Davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus: atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum regis aeterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium; ita dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiae tuae conventum manus conservet angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te, Christe Iesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

V. In honorem Sancti *N.*

R. Amen.

Tum Officians producit super campanam benedictam signum crucis, et discedit cum ministris.

VI.

Sub die 31. Martii 1911. Facultates ad quinquennium confirmandi ad secundum et tertium triennium confessarios monialium.

Beatissime Pater, Revmus Episcopus Tarnoviensis a Sanctitate Vestra humillime implorat prorogationem Rescripti diei 14. Maii 1906., quo sibi facta est facultas confirmandi ad secundum et tertium triennium confessarios monialium seu Sororum suae dioeceseos.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium, attentis expositis, prorogationem enunciati indulti, Revmo Ordinario Tarnoviensi oratori benigne impertita est ad quinquennium, servata in reliquis illius forma et tenore. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 31. Martii 1911.

(L. S.) Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praef.*

† DONATUS, ARCHIEPPUS EPHESINUS, *Secret.*

VII.

Sub die 28. Martii 1911. Privilegium in Ecclesiis tribus in qualibet hebdomada diebus Missas de requie cantandi, occurente licet Officio ritus duplicis.

TARNOVIEN.

Quo facilius satisfieri possit oneribus tum fixis, tum adventitiis Missarum de Requie cum cantu celebrandarum, Rmus Episcopus Tarnoviensis Dioeceseos a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. humillime efflagitavit, ut in singulis memoratae Dioeceseos Ecclesiis eiusmodi Missae de Requie tribus in qualibet hebdomada diebus cantari possint, quamvis occurrat Officium ritus duplicis.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit iuxta preces; dummodo eaedem Ecclesiae alio simili privilegio non gaudeant et exceptis a praesenti concessione Duplicibus primae et secundae classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis et

Octavis privilegiatis. Praesenti Indulto ad proximum tantum quinquennium valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Martii 1911.
(*L. S.*)

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praef.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret*

VIII.

Sub die 31. Martii 1911. Facultas ad quinquennium dispensandi super impedimento mixtae religionis.

Beatissime Pater. Ordinarius Dioecesis Tarnovien. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter implorat renovationem facultatis dispensandi super impedimento mixtae religionis ad quinquennium, prout alia vice concessa fuit.

Feria VI. die 31. Martii 1911.

Sanctissimus D. N. D. Pius, divina providentia PP. X., per facultates R. P. D. Adsessori S. O. impertitas benigne indulsit, ut R. P. D. Ordinarius Orator, facta potestate subdelegandi, si opus sit, dispensare valeat, iustis gravibusque accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, ac praesertim de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab illo pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, ET IPSE MORALITER CERTUS SIT EASDEM IMPLETUM IRI, dommodo, tamen neque ante neque post matrimonium coram Parocho catholico initum partes adeant ministrum acatholicum. Quod si praecesserit commercium carnale, si fieri poterit sine gravi damno, sponsi separentur aliquo tempore Ordinarii prudenti arbitrio, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia semper absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro acatholico. Hanc autem facultatem decrevit S. S. valituram ad quinquennium, facta simul in singulis dispensationibus concedendis expressa Apostolicae delegationis mentione, et elapso quinquennio R. P. D. Ordinarius REFERAT QUOT HUIUSMODI DISPENSATIONES CONCESSERIT. In reliquis stet instructioni alias datae. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

ALOISIUS CASTELLANO, *S. R. et U. I. Notarius.*

L. 2396.

Sprawozdanie Towarzystwa Oświaty Ludowej okręgu tarnowskiego za rok administracyjny 1910.

Liczni wrogowie zagrażają naszemu społeczeństwu. — Jedni pragną osłabić głęboką wiarę naszego ludu, inni pragną wydrzeć nam ziemię krwią i potem przodków użyźnioną — inni usiłują pozbawić nas mowy ojczystej — inni pragną lud nasz nieoświecony i tak z natury leniwy do wszelkiej pracy oświatowej i kulturalnej rozpić i moralnie zgubić. Wobec tych wrogów potrzeba nam pracy cichej, systematycznej, opartej na gruncie katolickim, pracy oświatowej, pracy na polu postępo-

wego rolnictwa i sadownictwa, by wioski nasze zazieleniły się od sadów, by użyźnione pola przyniosły już tak dawno pożądany dobrobyt. W tej myśli rozpoczęło pracę T. O. L. w roku obecnym w czytelniach, których Tow. liczy 40. Pamiętając o zasadzie „w jedności siła", postanowił Wydział po myśli uchwały zapadłej na Waln. Zgrom. roku zeszłego przyłączyć się do głównego Zarządu T. O. L. w Krakowie, jako okręg tarnowski, zostawiając dla siebie samodzielny zarząd, statut i administracyę w czytelniach swojego okręgu. Przyjął zaś Wydział warunek, że głównemu Zarządowi płacić będzie 50% ze składek członków zwyczajnych, za to otrzymał obietnicę pomocy w dostarczaniu książek do czytelni, co już tego roku spełnił Zarząd główny, przysyłając przeszło 500 książek swojego wydawnictwa do czytelni okręgu tarnowskiego.

Czynność swą rozpoczął Wydział od lustrowania czytelni.—Pokazało się, że niektóre czytelnie trzeba było wykreślić, inne z powodu zniszczonych książek zaopatrzyć w nowe. Nowych czytelni założono 12 — ogółem po należytem uporządkowaniu i wpisaniu do głównego katalogu, Tow. posiada w swoich czytelniach 4.030 książek z tych w roku obecnym dostarczono do bibliotek 2.310 książek religijnych, historycznych, gospodarczych i t. d.

Samo założenie czytelni i nadsyłanie książek do biblioteki jeszcze nie wystarczy, trzeba rozwijać czytelnie przez żywe słowo. I w tym też celu Tow. zakupiło skioptykon i urządziło 35 odczytów ilustrowanych obrazami świetlnymi. Nadto obok odczytów odbywały się pogadanki gospodarcze i sadownicze, wygłaszane z wielkim skutkiem przez prof. szk. ogrodn. p. Ant. Kurowskiego.

Dla 25 czytelni ludowej towarzystwo zaprenumerowało: „Poradnik ogrodniczy", pismo fachowe bardzo praktycznie redagowane, z którego wiele skorzystać może lud nasz w udoskonaleniu sadownictwa i warzywnictwa.

Stan finansowy przedstawia się z końcem 24 marca 1911. jak następuje:

Pozostałość z r. 1909	278 K. 95 h.
Dochody	1299 „ 60 „
Razem . .	1578 K. 55 h.
Rozchody	1543 „ 48 „
Pozostaje	35 K. 07 h.

Zaznaczyć należy, że do powiększenia dochodów znacznie przyczynili się: J. O. ks. Konstancya Sanguszkowa 500 K., Kasa oszczędności miasta Tarnowa 200 K., Wydział krajowy 200 K., Rada powiatowa tarnowska 100 K., Rada miejska tarnowska 50 K. Wszystkim, którzy czyto materyalnem czy moralnem wsparciem dopomagali Towarzystwu w jego pracach i usiłowaniach, składa Zarząd serdeczną podziękę i poleca się opiece dalszej w tej tak potrzebnej pracy nad odrodzeniem naszego społeczeństwa.

Udzielając do wiadomości powyższe sprawozdanie, polecamy z Naszej strony Towarzystwo oświaty ludowej życzliwej opiece i ofiarności P. T. Duchowieństwa i Wiernych.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 8. czerwca 1911.

Ks. Dr. Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.